

.xl. OMELIA . IN ASCENSIONE DOMINI .

[.i.] UOcem iocunditatis ác dulcedinis de resurrectione domini
ac uictoria christi annuntiate fratres karissimi in medio catholici
apostoli et usque ad extremum terrę dicite . quia liberauit dominus po-
pulum suum a peccatis eorum . et de captiuitate qua per inuidiam
diaboli tenebantur captiui in tenebris et in umbra mortis .
sicut propheta dicit . Eduxit dominus populum suum in exultatione .
et electos suos in lētitia . Cantate igitur domino canticum nouum .
eodem propHeta dicente . quia mirabilia fecit . [.ii.] Mirabilia
quidem christus fecit . quando ab inferis uictor resurrexit . descen-
dere enim prius dignatus fuerat de sede patris . qui in cēlo cum patre
coaeuus et coaequalis fulgebat . Et tamen homo factus est
per misericordiam nostrę salutis causa . Natus enim ex maria uirgi-
ne . pannis inuolutus . In presepio positus . in carne circum-
cisus . a ioHanne in iordanē baptizatus . a diabolo in deserto
temptatus . a iudeis persecutus . ab ipsis etiam comprehensus . et ad
extremum flagellatus atque crucifixus . mortuus et sepultus est .
et ad inferna descendit . Et postea tertia die de sepulchro
uiuus surrexit . [.iii.] Deinde per quadraginta dies suis precepit
discipulis . quę facere deberent et docere . Quibus et prebuit
seipsum uiuum post passionem suam . in multis argumentis
/94r/ apparens et loquens eis de regno dei . Et conuescens precepit eis
ab hierosolymis ne discederent . sed expectarent promissionem patris
quam audistis inquit per os meum . Dicebat enim eis . Vado parare uobis
locum . et iterum ueniam ad uos et gaudebit cor uestrum . [.iiii.] Nisi enī¹ ego
abiero . paraclitus non ueniet ad uos . dum autem assumptus
fuero . mittam eum uobis . Cum autem uenerit ille . spiritus ueritatis .
docebit uos omnem ueritatem . et que uentura sunt annuntia-
bit uobis . Ego enim rogabo patrem pro uobis . et alium paraclitum mit-

tet ad uos . ut maneat uobiscum in aeternum . Apostoli igitur qui con
uenerant in unum . interrogabant eum de his omnibus dicentes .

Domine si in tempore hoc restitues regnum israel? Ac si dicerent .
si in diebus nostris erit consummatio seculi et restitutio regni . [.v.] Dixit autem
eis . Non est uestrum nosse tempora uel momenta . quę pater
posuit in sua potestate . quasi diceret . Cur quęritis tempora
uel momenta aduentus domini . quę signis preuenientibus et prodigiis
reuelabuntur in suo tempore? quorum tamen diem uel horam nemo
scit . neque angeli in cęlo . Neque filius hominis . id est omnes sancti
qui sunt christi corpus . et angeli cęlorum diem iudicii nesciunt sed pa-
te² solus . Per id enim patrem et filium et spiritum sanctum intelligimus . sicut
saluator ait . Ego et pater unum sumus . Et iterum . [.vi.] Qui uidet
me . uidet et patrem ; quia ego in patre et pater in me est . Et
iterum . Nemo nouit filium nisi pater . et patrem quis nouit . nisi
filius? nouit igitur filius diem iudicii et horam similiter sicut et pater et spiritus
sanctus . Sed ideo a corpore suo . idem ab omnibus sanctis diem iudicii
abscondit . ut sollicitudinem semper habeant uigilandi ; sicut
ipse in aeuangelio dicit . Vigilate et orate et estote parati .
quia nescitis qua hora dominus uester ueniet . sero . an media noc
te . An galli cantu . In his scilicet temporibus noctis . dominus noster
/94v/ specialiter aduentum suum significauit . [.vii.] Propterea noluit reuelare
aduentus sui tempora discipulis . sed semper uigilarent et orarent né se
ducerentur per fallaciam inimici . Sed accipietis inquit uirtutem
superuenientis spiritus sancti in uos . et eritis³ mihi testes in Hierusalem et in
omni iudea et samaria . et usque ad ultimum terrę . Ac sí diceret . Sicut
enim prophete testimonium de meo aduentu predixerunt in carne .
ita uos et successores uestri meae resurrectionis eritis et ascensionis
testes . Et ideo dixit eis . Euntes in mundum uniuersum prędicate
euangelium omni creaturę . id est omni homini in quo consistunt
omnia elimenta . ex quibus conditus est mundus . Qui uero non crediderit
condemnabitur . Fortasse aliquis apud semetipsum dicit . Ego iam

credidi saluus ero . [viii.] Uerum dicit . si fidem operibus implet . Sed ille
uerissime credit . qui uerba dei quę audierit operibus exercet .
Et baptizatus fuerit . Id est . qui omnia quę in baptismo promittit
perseueranter custodit . Qui uero non crediderit . condemnabitur . id est .
qui fidem in deum non habet nec opera eius exercet . ipse non saluabitur .
Signa autem eos qui crediderint . hęc sequentur . In nomine meo
daemonia eicient ; linguis loquentur nouis . serpentes tollent .
Et si mortiferum quid biberint non eis nocebit . Super ἔγραφος manus
imponent . et bene habebunt . Sunt autem multi qui querunt
et murmurant . Quia hęc signa modo per sacerdotes facere mi-
nime uident . non intelligentes⁴ quidem quia sancta . aecclesia cotidie
spiritualiter facit . quod tunc per apostolos dominus corporaliter faciebat .
Quid enim aliud sacerdotes faciunt . nisi dēmonia eicere . quando
per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt . et habitare
malignos spiritus in eorum mente contradicunt . Et qui secularia uer
-ba derelinquunt . et conditoris sui laudem et potentiam quantum
preualent narrant . quid aliud faciunt . nisi nouis linguis
/95r⁵ loquuntur? qui dum bonis suis exortationibus de alienis cordibus
malitiam auferunt ; quid aliud faciunt . nisi serpentes tollunt .
Id est . odium . inuidiam . de tractationem . et cętera uitia . Et qui exemplo
bonę operationis proximorum uitam roborant qui in propria actione
titubant ; Quid aliud faciunt . nisi super aegros manus inponere .
ut bene habeant et sanentur? Quę nimirum⁶ miracula tanto
maiora sunt . quanto per hęc non corpora suscitantur . sed animę
uiuificantur . Grandis ergo honor credentibus in christum dona
tur . ut sint uidelicet fratres domini iesu christi . et filii patris altissimi .
ut sint heredes dei . coheredes autem christi . Grandis in quam honor
est eis . ut fulgeant sicut sol in regno patris eorum . et sedeant super
duodecim thronos . iudicantes duodecim tribus israel . Grandis
honor est eis . quibus filius dei dicit . Sicut dilexit me pater . et ego
dilexi uos . Manete in dilectione mea . Et iterum . Uos amici

mei estis . si feceritis quę precipio uobis . Grandis honor est quibus
dicit . Quod cumque petieritis patrem in nomine meo . dabit
uobis . Item . Ipse pater amat uos . quia uos me amastis et credi
distis . Grandis Honor est eis . pro quibus patrem filius supplicat
dicens . Pater sanctę salua eos in nomine tuo . quos dedisti mihi .
et ut cognoscat mundus quia tu memisisti . et dilexisti eos
sicut et me dilexisti . Grandis Honor est credentibus . de quibus
filius dicit . Pater quos dedisti mihi uolo ut ubi ego sum . ibi
sint et hi mecum . Ut uideant claritatem meam quam dedis
ti mihi . et ego dedi eis . Et iterum . Grandis Honor . est eis .
quibus saluator oscula pacifica dedit dicens . Pacem
relinquo uobis . pacem meam do uobis . Et iterum . Grandis Honor
est eis . quibus saluator ad patrem rediens dicebat . Tempus est .
ut reuestar ad eum qui me misit . uos autem benedicite deum
/95v/ et enarrate omnia mirabilia eius . Et iterum . Grandis Honor est eis
quibus ipse dixit . Ascendo ad patrem meum et patrem uestrum . deum meum
et deum uestrum . Et cum hęc dixisset uidentibus illis eleuatus est in nu
be clara . et ipse quidem expansis manibus ferebatur in cęlis . et –
benedicebat eis dicens . Pax uobis . et nubs suscepit eium ab eorum
oculis intuentibus illis aera . Ecce ubique creatura creatori suo
prestat obsequium . Astra indicant nascentem patientem obnu
bunt . Recipiunt nubes ascendentem . et redeuntem ad iudi
cium comitabuntur . Cumque intuerentur in cęlum . ecce duo
uiri stetere amicti ueste clara iuxta illos dicentes . Quid
admiramini caelorum alta? iesus enim hic qui assumptus est . a uobis
ad patris dexteram . Vt ascendit ita ueniet . id est . in eadem
forma carnis atque substantia ueniet iudicaturus . in qua
uenerat iudicandus . Illi autem una uoce clamabant dicentes .
Ó rex glorię domine uirtutum . qui triumphatur hodie super omnes
cęlos ascendisti . ne derelinquas nos orphanos . sed mitte pro
missum patris in nos spiritum ueritatis . ut semper nobiscum maneat

in aeternum . et tecum uitam habeamus aeterna . per infinita secula seculorum . amen .

¹ eni] *sic pro* enim

² pate] *sic pro* pater

³ eritis] *corr. from* erititis

⁴ intelligentes] *corr. from* intellegentes

⁵ *There are three different forms of G on this page.*

⁶ nimirum] *corr. from* nemirum